



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Scholia In Primarias Preces Imperatoris

Chokier, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1674

XLVIII. An Reg. Cancell. XL. Revocatoria Expectativarum cesset in Primarijs
precibus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62387](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62387)

terez in Repet. 1. Nemo potest, num. 174. & 178. Anast. Germon. tract. de Indult. Cardinal. §. ac irritum, num. 9. & seqq. Hinc providetur etiam in his Clausulis non obstantiarum derogatum est Regulis in Cancellaria Apostolica publicatis, & publicandis. Sed an per hanc derogationem censetur derogatum Regulis, quæ sunt ubiq; in celebri apud omnes observantia, nimirum de Annali, Triennali, de publicandis, de verisimili notitia, de surrogandis, de infirmis, & similibus, quæ Judiciales sunt? Vide Gomefium in quest. 6. proemij, ubi tandem resolvit de stilo Cancell. servari, quod per prædictam clausulam nunquam censetur sublata dictæ notabiles Regule Judiciales, non factâ mentione expressa in individuo de dictis Regulis, nisi tamen in supplicatione seu Regula poneretur Clausula generalis, QUORUM TENORES HABEANTUR PRO EXPRESSIS, nam tali casu dictæ Regule comprehenderentur, & illis derogatum censeretur, ut variis Rota decis. probat Gomef. dicta quest. 6. Verum justius dubitari potest, an Regula Cancell. revocatoria Expectatarum, quæ est 11 & fit postridie assumptionis Pontificis, per quas revocantur omnes expectativæ, quæ in aliqua sui parte sunt sortitæ effectum; cesset in his primarijs Precibus, hoc est, an sortiantur suum effectum etiam post obitum Pontificis, qui Indultum Primariarum Precum Cæsari concessit? nam prædicta Regula, quæ publicatur altero die post assumptionem ad summi Apostolatus apicem, revocat omnes gratias expectativas per prædecessorem concessas. Dubitationem movet, quod verba dictæ Regule comprehendant etiam facultates nominandi, & conferendi, verbis generalibus & aptis comprehendere quoscunque, ut patet in verbis regula, QUORUMCUNQUE, ET QUIBUSCUNQUE CONCESSAS. Nihilominus cum Indultum Cæsareum habeat clausulam, NEC NON QUIBUSCUNQUE IN CANCELL. APOSTOLICA QUANDOCUNQUE PUBLICATIS ET PUBLICANDIS &c. censo prædictam Regulam cessare, nec efficere Preces Primarias, maximè quod Imperator in facultatibus habeat facultatem nominandi tanquam S. R. E. advocatus; sicque videatur privilegiatus à Jure communi, cap. dilecto 3. de prebend. cap. Adrianus, & seqq. 63. distinct. glos. unica, in cap. Imperium in §. in dist. Et Papa per generalia verba non videatur tollere specialia jura, lib. decurionibus, C. de silentia lib. 12. Bald. in lib. 1. ante non. 2. ff. de constit. Princip. Accedit quòd Imperator utatur consuetudine antiqua, & immemorabili in conferendis istis Precibus, ut patet in principio provisionis Cæsareæ, quæ datur Precistis: Regule autem & Constitutiones Papæ, quæ strictam accipiunt interpre-

interpretationem, non tollunt consuetudines antiquas, nisi in individuo factant de illis mentionem, *Gemina. in c. 2. de prebend. in 6. cap. 1. de consuet. in 6.* Postremò, quandoquidem S. Pontifex facultatem hanc nominandi concesserit ob ipsius in Ecclesiam benemerita, non videtur quòd successor postea illas revocare: quia quando Princeps alicui benemerito aliquid donat, non debet huiusmodi facultas à donatario auferri sine causa, ut olim respondit solidæ eruditionis Franc. de Fraipont J.C. Leodien. in causa Joannis de Manio, dominorum Scabinorum Leodien. Graphiarj, per textum in l. Aquilinus, & in l. si pater, in fi. ff. de donat. Castren. in l. que ex relaxationibus in 3. not. C. de leg. Alex. conf. 101. nu. 1. lib. 1. Selya. de Benef. part. 3. quest. 14. num. 3. Navar. in cap. Placuit, nu. 16 de Pœnitent. dist. 6. Franc. cap. ult. nu. 5. de Rescript. in 6. per eadem de Reg. jur. in 6. & à fortiori multo magis ratione idem dicitur in Papa, qui debet esse constans & immobilis sicut lapis angularis non aliter atque pilus in cœlo, & unam dumtaxat linguam & unum calamum habere, & non plures, Rota decis. 33. nu. 17. & 18. de Prebend. in antiq. Philip. Probus in Reg. frusta nu. 75. nu. 5 de Reg. iur. in 6. Flam. Paris. de Resignat. benef. lib. 3. quest. 18. num. 92. Roland. à Vallo consil. 13. nu. 57 & seqq. vol. 3. Gonzalez. ad Reg. VIII. Cancell. §. 2. nu. 33. Nec etiam à tempore quo Cæsares sunt in possessione istarum Primariarum Precum, visum est privilegio ipsorum per aliquem è Pontificibus, qui semper Principibus Catholicis munificentissimos se præbere solent, uspiam derogatum.

Gratia Expectativa non tam abbreviata.

b GRATIA EXPECTATIVA) Gratia Expectativæ jam exoleverunt, nec solet Papa illas concedere, quia inducunt votum captandæ mortis gentilibus etiam odiosum, cap. 2. de concess. Prebend. & per illas immutatur, perturbatur, & decoloratur universus Ecclesiæ status, ut loquitur Rebuff. in prax. tit. de Expectativis. Ideo merito sacro Concilij Trid. decreto cap. 19. sess. 24. de Reform. Expectativæ omnes sunt sublatae, etiamsi si illæ factæ sint de consensu ordinariorum, ut resolvit Sacra Congregatio Interpretum Concilij. Ac licet Preces Primariæ sapiant naturam Expectatarum nihilo magis comprehenduntur sub dicto Concilij decreto, ut resolvit eadem S. Congregatio in una Cameracen. die 25. Januarij 1576. quam resolutionem etiam puto me præscripsisse.

Preces Cæsaris non comprehenduntur sub Concilio Trid.

c AC RESERVATIONE) Olim Papa mandabat provideri per Reservationes, ut viris, quæ virtute, quæ eruditione conspicuis, quibus Ecclesia maximè indiget, provideret. Reservatio autem erat vel generalis, vel specialis. Generalis est, cum Papa unius provinciæ, seu diocesis beneficia reservabat, vel quæ indicta erat ex dispositione juris communis, ut de vacantibus in Curia, de qua in cap. 2. de Prebend. in 6. vel per obitum venientium ad Curiam de qua in cap. presenti d. tit. & in Extravag. ad regimen. Et de hac Reservationem textus noster non loquitur, unde Preces ejusmodi beneficia, non capiunt,

PRIVILEGIUM
REGULARIUM
ET
COMMENTARIUM
IN REGULA
CANCELLARIUM
APOSTOLICUM
DE
PRECES PRIMARIAS
G III
8

piant, ut dixi supra sect. IV. In glos. alias quam per Constitutionem ad regimen, sed tantum de speciali Reservatione, quæ est, cum Papa reservat aliquid beneficium, aut dignitatem primò vacaturam in tali loco, pro tali, & interdum designat ipsam personam, quæ possidet dictum beneficium, aut dignitatem, & hæc reservatio est potentior generali, quia reservata generaliter per acceptantes acceptari non possunt, Mandos. ad Reg. 32. quest. 3. num. 13. Simonetta de reservat. quest. 4. Specialiter autem reservata poterant: unde Pontifex hoc loco statuit, quod ne quidem specialis reservatio impediret effectum Primariarum Precum.

d VEL DVABVS GRATIIS) De hac forma Expectativæ vide Staphil. de litt. grat. tit. de sexta forma Expectativarum.

e AC DE INSINUATIONE) Patet ex hoc textu insinuationis & publicationis insinuationem remissam esse, sed eam relinqui arbitrio nominati. Idèd, quæ ex quadam Eugenij Papæ Regula de sollemnitate publicationis gratiæ expectativæ consulendo scripserunt Abb. conf. 99. incip. Illud. in præsentiarum. vol. 1. Philipp Corn. conf. 137. licet multas. vol. 3. Lud Rom. conf. 433. incip. Quo ad primum, & alij hujus Indulti dispositionem minimè afficiunt. Hinc perspicuum est Preces Primarias favorabiles esse Nominacionibus Universitatum, in quibus talis sollemnitas requiritur, ut latè notat Rebuff. in tract. nominat. quest. 14. per tot. Quæ quoque nominationes, cedere debent Precissis, tot alibi in hoc opusculo notavi.

f EXPECTATIVAS IN FORMA PAUPERVM) De qua in cap. si pauper Clericus, de præbend. in 6. Hodie in Francia nulla sunt mandata in forma pauperum, sed Galli abolita esse prætendunt, ut in tit. de Reformat. sublat. Cæterùm hæc forma Expectativæ erat, cum Episcopus aliquem pauperem promoverat ad Ordines sacros nullo patrimonio aut sacerdotio dotatus, quod tamen Episcopus non potest; Unde si talis esset promotus, is impetrabat à Papa Ordinatore directas, ut sibi provideret, quo honestè & commodè vivere posset, dato executore, cap. si pro Clerico, cap. si pauper, de Præbend. in 6. sed quia etiam hæc forma exolevit, ei non insisto, satis sit lectorem remississe ad Staphil. de litt. grat. vel de formis Expectat. § nova forma, Rebuff. in praxi. tit. de Rescripto in forma communi.

g AD GRADVATORVM) Sed & hæc forma Expectativæ exolevit in aula, etsi olim non infrequens esset: nam Papa mandabat reservari beneficium conferendum Graduato, in quibuscunque Ecclesijs, exceptis Cathedralibus, cujus fructus non ascendebant ad certam summam, quam taxabat, de qua propterea nihil ultra subijcio, videantur Rebuff. in praxi. tit. de Rescripto in forma Pauperum pro Graduatis, & Staphilæus tract. de litt. grat. de forma Expectativarum, tit. de decima forma &c.

h PVBLICATIS ET PVBLICANDIS) Diximus supra per generalem clau-

M

clau-

De Insinuatione
Nominacionis.

Preces favorabiles
nominationibus
universitatum. In
Gallia abrogata
Expectativa
in forma
pauperum
imo ubique.

clausulam derogatoriam non cenferi derogatum reg. Cancell, idèd necessaria, & expressa fuit hic illarum derogatio, ne per eas susteretur effectus Primariarum Precum: nam per clausulam generalem *Nonobstantibus constitutionibus &c.* non cenferetur derogatum nisi constitutionibus ordinarijs, non autem extraordinarijs, cujusmodi sunt Extravagantes, & Regulæ Cancell, Nam clausulae generales ad extraordinaria non refertur, l. scio, §. medio, ff. de annuis leg. Anast. Germ. tract. de Indult. Cardin. §. etiam ex eo, nu. 32.

Per clausulam generalem non cenferetur derogatum Reg. Cancell.

I CONSTITUTIONIBVS, ET ORDINATIONIBVS) Sunt qui inter se hæc differre asserant, ut Alphonsus Sotto in *Proëm. Reg. Cancell. & Rebuff. ad constitut. Reg. in Proëm. glos. 2.* Ego tamen rem eandem esse, & quantamlibet Serenissimi constitutionem utriusque vocabulo comprehendendo existimo

Clausula Nonobstantibus &c. non derogat Ordinationi fundatoris Derogatur hic Consuetudini Opdandi ita ut ea non obstante Preces capitani beneficii hujusmodi.

K STATUTIS, ET CONSUETUDINIBVS) Vigore hujus Clausulae, possunt expectantes acceptare beneficium quod forte ex statuto requirit actu sacerdotium, de quo est decisio *Rota 466 in antiq. quæ sic habet.* Nota quod statuta Ecclesiarum actu sacerdotium requirunt per clausulas generales derogatorias in litteris Papalibus positas sublata, aut saltem dilata cenferantur, ita quod Impetrantes possint hujusmodi beneficia acceptare, licet non sint in sacerdotio constituti, dum tamen sint in ætate tali, quod in proximis quatuor temporibus possint ad sacerdotium promoveri, per *not. lo. And. in c. si pro clericis, de Præbend. in 6.* Quamquam nulla hic in eo videatur difficultas, cum Indultum Cæsareum habeat, supra, aliam clausulam, in *sect. 4. ibi VIDELICET IN ÆTATE LEGITIMA*, per quam mandatur

Clausula nonobstantibus &c. non derogat Ordinationi fundatoris Derogatur hic Consuetudini Opdandi ita ut ea non obstante Preces capitani beneficii hujusmodi.

Executoribus provideri per Cæsarem Nominatis ad beneficia Ecclesiarum, in quibus esset statutum, quod deberent esse in ætate legitima, aut de legitimo matrimonio, dummodo tamen quoad hujusmodi qualitates alias cum eis Canonice dispensatum sit, ut ibi habetur. Licet autem regulariter per generales istas clausulas cenferantur contraria Ecclesiarum statuta sublata, aut saltem dilata, non tollunt tamen, aut derogant ordinationi fundatoris in suo testamento, *Staphil. de litt. grat. tit. de clausulis nonobstantium, arg. cap. cum dilectus ibi Dd. de iurepat. de quo alibi scripsi.*

I PER OPTIONEM ASCENDAT) Non satis erat derogare statutis, & Consuetudinibus Ecclesiarum, ut supra, sed necessaria erat expressa, & specialis derogatio consuetudinis optandi. *Anast. Germ. tract. de Indul. Cardin. §. etiam ex eo, nu. 22. Garcia de benef. part. 5. cap. 1. nu. 150. de quo textus est expressus in c. fin. de consuet. Ibi enim Pontifex præmissa consuetudine optandi, decernit, quod cum in Ecclesia in qua est talis consuetudo, mandat sedes Apostolica alicui provideri de præbenda proximè inibi vacatura, poterunt nihilominus antiquiores juxta consuetudinem eandem optare, cum præbenda vacabit, quod*

PRIVILEGIUM
REGULARIUM
ET
COMENDARIUM
IN REGULA
CANCELLARII
APOSTOLICI
L. 7
PRÆCIPUUM
C. III
8

confirmatur decif Rote, §. de consuet. in No. Cassador. decif. 4. nu. 2. & 3. de concess. Præbend. Gemina conf. 104. Staphil. de lit. grat. tit. de effectu clausul. vers. In super derogatur Fely. in cap. nonnulli, nu. 23. de Rescript. ubi dicit, quod licet per clausulam, non obstantibus, consuetam poni in gratijs derogatur statutis generalibus omnia beneficia Ecclesiastica respicientibus, tamen non derogatur per eam alicui statuto singularium, nisi de illo fiat expressa mentio. Ideo dicta consuetudo optanti non habet locum in nominationibus universitatum, teste Rebuff. in tract. nominat. quest. 15. nu. 49. & Joanne Petro Moneta in suo doctis tract. de iure optandi.

IN JURAMENTO) Ideo hoc exprimitur, quia statuta jurata non tolluntur per generalem derogationem statutorum, Fely. in cap. constitutus, nu. 3. de Rescript. lo. Guitierrez in Repet. l. nemo potest, n. 162. de leg. 1. Anast. Germon. de Indult. Carlin. §. etiam ex eo nu. 26. Celsus Hugo tract. de clausulis, nu. 23. ubi scribit quod dispositio contraria non tollit actum juratum, glo. in ca. cum non decent, verbo effectus de electio. in 6. Clem. dudum, §. fin. de sepult. Fely. in d. cap. constitutus, de Rescript. & alij multi, quos adducit Rebuff. in forma mand. Apost. sub fin. ubi etiam addit, quod hæc clausula in hoc etiam proficit, ut licet quis juraverit tempore suæ receptionis in Canonicum servare statuta, & consuetudines laudabiles Ecclesiæ, si tamen postea impetret à Papa aliquas portiones, & præbendam vel aliud beneficium contra consuetudines Ecclesiæ, non erit periurus, & valebit ejusmodi impetratio, Rota decif. 294. incip. licet quis in no. quam decif. vide, quia est insignis. Et nullus præter Papam aut Principem non recognoscentem superiore in uti potest hac clausula, l. 1. nemo potest, not. 1. in 2. lect. ff. de leg. 1. & ibi quoq; Guitierrez nu. 157. Si tamen derogatio fieret per viam legis, tali casu per simplicem derogationem derogatur Juramento nulla facta de eo mentione, Gomez. in Proem. Reg. Cancell. quest. 5. in fi. Guitierrez ad l. nemo potest, nu. 170. ff. de leg. 1. aut si Papa scriberet motu proprio cum dicta clausula, non obstante, Guitierrez in d. l. nemo potest, nu. 171.

IN CONFIRMATIONE APOSTOLICA) Opportunè hoc apponitur: quia clausula generalis, non obstantibus, non tollit dispositiones, per Principem confirmatas, glo. in Clem. dudum, in fi. in verbo Pacta de sepult. Fely. in cap. Constitutus, nu. 21. versic. considera tertio. de Rescript. Et difficilior rumpitur conventio confirmata, quam simplex Papæ conventio, ca. 1. de Treuga. Fely. constitutus nu. 21. de Rescript. Porro, de effectu Confirmationis, & quotuplex sit vide Decium in Rub. tit. de confirm. util. per tot. glo. in cap. quia diversitatem; de concess. Præbend. & in cap. frater 17. quest. 4. Abb. in cap. cum super, de causa poss. DD. in l. more, ff. de Jurisdic. om. Lud. & alios quos appellat Rebuffus in forma Mand. Apost.

Clausula
generalis
non tollit
statuta
Papa.

Clausula
generalis
non tollit
dispositio-
nes per
Principem
confirma-
tas.

Statuta
penalis
non sunt
per hoc in-
dultum
abrogata.
Clauſula
contrariis
quibus-
cunque.

O VEL QUAMVIS FIRMITATE) Nonnunquam enim statutis, ut pondus illis adjiciatur, pœna apponi solet, per statuentes: quod possunt, etiam si careant Jurisdictione. *Affr. ad decif. Capell. Tholof. 407.* Ideo per hoc Indultum ejusmodi etiam statutis derogatur.

P CONTRARIIS) Idcirco apponitur hæc clauſula, quod aliàs non valeat gratia, vel Rescriptum consuetudini, statuto, vel privilegio contrarium, nisi de illis fiat mentio, saltem per clauſulam hanc generalem **NON OBSTANTIBUS CONTRARIIS**, ut hic: quia sicut condendo legem posteriorem, inquit *Rebuff.* non videtur derogare consuetudini vel statuto, *cap. 1. de Constit. in 6.* sic faciendo gratiam uni non videtur tollere consuetudines, vel statuta contraria, *Peruffus in cap. cum aliquibus 1. notab. de Rescript. n. 6. cap. ult. de consuet. eod. lib. & cap. cum in illis, d. tit. Rebuff. in forma Mand. Apost.* nisi in derogatione per clauſulam non obstantibus, apponat vocem, contrariis, vel in contrarium facientibus: *Güter. in Repetel. nemo potest, nu. 161. & 162. deleg. 1.*

Clauſula
Quibus-
cunque.

Q QUIBUSCUNQUE) Ista clauſula licet sit generalis, regulatur tamen secundum naturam gratiæ, vel Rescripti. *Marchesan. tract. de Commiss. part. 2. cap. 6. nu. 11.* & restringitur secundum subjectam materiam. *gloss. in cap. solita, de Maior. & ad personas habiles, l. qui autem in fi. de Constit. pecu.* Et hæc clauſula solet sequi specialiter enumerata; quia non est novum, ut aliquibus specialiter enumeratis generalis clauſula subsequatur, quæ omnia comprehendat, *l. si seruus servum, §. inquit lex in fi. ad l. Aquil. c. qui ad agendum, de Procur. in 6. Stap. hil. de litt. grat. tit. de vi, & effectu claus. §. secundo sciendum est.*

R QUACUNQUE DIGNITATE) Hæc clauſula solet comprehendere quoscunque cujuscunque gradus, status, & dignitatis existant, adeo ut etiam Reges comprehendat, & Cardinales, *Gomes. in proem. Reg. quæst. 4. nu. 2. Vers. Nam dicta clauſula.*

Nomina-
tiones V.
niverſita-
tum non
impediunt
effectum
Precum.

I NOMINATIONES) Quemadmodum Expectativæ ad beneficia non impediunt quo minus Primariæ Preces sibi locum vindicent, ut dictum est, ita etiam Nominationes Universitatum. Nominationum enim Indulta sunt ad instar Expectatarum gratiarum, quæ pari passu cum illis ambulant, *vs. amef. conf. 250. n. 1.* ideoque illis non subjiciuntur beneficia Precistarum, ut hic statuitur.

T CUM QUIBUSVIS ETIAM DEROGATORIARUM DEROGATORIIS CLAUSULIS) Ut intelligatur vis & energia istius clauſulæ, advertendum nonnunquam Papam concedere Indulta, vel privilegia; in quibus apponitur Clauſula, quod per quamcumque dispositionem non censeatur derogatum huic Indulto, vel privilegio: si postea Papa non obstante ejusmodi indulto vel privilegio faciat uni aliquam gratiam continentem clauſulam derogatoriam clauſulæ derogatoriæ primi privilegij, ista gratia vel

vel alia similis dicitur continere clausulam prædictam : verbi gratia , si conceditur primo privilegium cum derogatione juris communis , & aliarum obstantiarum , & istud privilegium continet clausulam , quod per quascun- que dispositiones contrarias non censeatur derogatum hujusmodi privile- gio ; & postmodum supervenit alia concessio contraria primo privilegio continens clausulas derogatorias clausularum derogatarum primi privi- legij , tunc ista secunda dispositio , vel alia similis , dicitur continere clausulam prædictam , quia derogat derogationibus prioris concessionis . Idemque esset si in prima concessione diceretur , quod derogatur non solum quibus- cunque dispensationibus in contrarium faciendis : sed etiam clausulis dero- gatorijs aliarum clausularum derogatarum in illis apponendis , contra te- norem & clausulas derogatorias primæ concessionis ; nam tali casu prima concessio continet clausulas derogatorias derogatarum , ut colligitur ex glo. & D. in d. l. si quis in principio testamenti , ff. de leg. 3. & ex traditis à Paulo Castren. cons. 278. passus iste dubitabilis , ante finem vers. Item continet aliam dero- gatoriam. Dec. cons. 165. Incip. viso tenore , nu. 1. Paris. cons. 42. nu. 15. in fi. lib. 4. Unde cum concurrat duplex vinculum , unum clausulæ derogatoriæ , & aliud derogatoriæ derogatarum , & duo vincula fortiora sint uno , §. affinitatis , Instiur. de nupt. l. cum adoptivis , C. de adoptio. sequitur quod ad hoc ut sit dero- gata prima dispositio talem clausulam continens , non sufficit , quod fiat men- tio , & derogatio de clausula derogatoria primæ concessionis , sed etiam fieri debet de clausulis derogatorijs derogatarum , ut post Bartol. in l. si quis , in pr. ff. de teg. 3. Put. decis. 109. una Zamoren. nu. 4. lib. 1. Conar. in Rub. de testam. part. 2. nu. 20 vers. hinc scribit , Paulus Gonzalez ad Reg. de reservatione mensium , & Al- ternativa glo. 36. per tot. ubi multas conclusiones cum suis limitationibus apposuit circa clausulam prædictam .

U EX CERTA SCIENTIA VEL SIMILI MOTU) Quid distet clausula ex certa scientia , à Clausula Motus proprii consule Staphilæum de
litt. grat. tit. de vi & effectu Clausularum . §. subsequenter , Anast. Germon. tract.
de Indult. Card. §. sed ex certa , ubi inter alia scribit clausulam ex certa scientia
excludere errorem præsumptum , habereque vim derogativam ; clausulam
verò motus proprii non tollere defectum intentionis , nec jus tertij ; plura
apud eos videto .

Discri-
men Clau-
sula Mo-
tus proprii
à certa
scientia.

ET QUÆ FORTASSIS TOTALIS SUI TENORIS INSER-
TIONEM) Hæc inter alias hujus Indulti magnæ potentia Clausulas est ista
quod nimirum deroget quibuscunq; litteris ; Apostolicis etiam si tales essent ,
quod de illis de verbo ad verbum mentio fieri deheret , idque propter clausu-
lam in extrema Indulti parte appositam , QVORVM TENORES &c. cujus
ea est vis , ut apposita in ultima concessione , habeat vim specialis , & indi-
viduæ expressionis ac derogationis , Cassad. decis. 10. nu. 2. super Reg. qui atte-
stat

Alia de-
rogatio
hujus In-
dulti.

Statu suo tempore Rotam hanc opinionem secutam fuisse, canonizando vulgatum consilium Anth. de Butr. Idem *Cassul. decis.* 38. nu. 3. *super Reg. Fely. in cap. Accedentes, num. 5. vers. secundus casus est*, Menoch. de *Presumpt.* l. 6. *presumpt.* 39. *quest.* 46. num. 22. *Gomes. in proem. Reg. quest.* 6. num. 8. & in *Reg. de Trien. quest.* 17. num. 5. ubi dicit hanc opinionem esse æquiore, & delicto curiz magis receptam, quam sequitur *Mandol. ad Reg. 19. quest.* 19. nu. 13. *Pu. decis.* 190 *in pr. lib.* 3. & *Anast. Germon. de Indult. Card. §. ac irritum, nu. 1. & seqq.* ubi postquam contrariæ sententiæ Authores produxit, tandem prædictam communem sequitur, ut & *Gonzalez ad Reg. de mensibus. & Alternat. glo.* 36. nu. 29. & 67. qui limitat prædictam communem opinionem nisi natura, casus, & materia subiecta, & amplissima verba talem Principis voluntatem insinuarent, ut expressa & individua mentione prioris privilegij opus esset, affertque sententiam Abbatis, in *cap. cum Instantia, num. 5. sub. fin. vers. conclude ergo, de Censibus*, quod in hac materia debemus semper considerare Clausulas primi & secundi privilegij, & si appareat, vel non, de intentione Papæ, volentis revocare prima privilegia, secundum hoc erit judicandum pro revocatione vel non revocatione primi privilegij, *Gamb. tract. de leg. lib. 8. tit. de Potest. leg. in legibus & statutis concedendis, num. 38. 41. & 42.* & sic videmus quod Rota admittit modò dictam clausulam QUORUM TENORES &c. pro sufficienti derogatione, modò non, prout diversitas materiæ, & casus natura suadet. Ac propterea merito *Fredericus in dicto conf. 233. num. fin. ante si.* dixit quod Curia Romana in similibus casibus, quandoque unum, quandoque aliud tenere consuevit, *Gonzalez ad d. Reg. num. 67.* Verùm in casu hujus Indulti, haud dubium est, quin sit derogatum quibuscunque Indultis, privilegijs, facultatibus nominandi, Expectativis, mandatis de providendo, alijsque quibuscunque litteris Apostolicis sub quacunque forma, clausula, & expressione verborum conceptæ fuerint, ut ex illius textu patet. Nam ex quo Papa hic vult haberi pro expresso, fingitur expressum, licet expressum non sit, *Clem. 1. de probat. potest enim ad validitatem actus à se gesti fingere expressum quod expressum non est, Ant. de, Butr. conf. 55. per cap. 1. de transactio. cap. illa, de Electio.* Si enim aliud diceretur, sequeretur Papam posse sibi outerre per indirectum potestatem revocandi suammet legem, vel privilegium: Nam si haberet necesse expressam facere mentionem illius privilegij, nec recordaretur, aut illud fortè non inveniretur, suis ipse constitutionibus non posset derogare, hoc est, jure suo uti, quod esset absurdum, *Abb. ad cap. cum Instantia, col. 2. de censibus, Fred. de Senis conf. 42. Anast. Germon. ubi supra.*

Mandata de providendo ho-

y ET MANDATA DE PROVIDENDO) Præscriptimus mandata de providendo & expectativas ad futura beneficia etiam sub nomine Indulti

PRIVILEGIUM
REGULARIUM
ET
COMMENTARIUM
IN REGULAS
CANCELLARIUM
APOSTOLICARUM
L. 7
PRÆCIPUE IN
C. III
8

dulci exolevisse, etiam si S.R.E. Cardinalibus concessa fuerint, idque ex sacri Concilij Frid. decreto in cap. 1. sess. 24. Unde inanis est Exceptio quæ subijcitur, nisi illi pro quibus &c.

ANTEFERRI VOLUMUS) Per clausulam Anteferri, posterior præferetur priori habenti jus ad rem, non in re, *Gemin. in cap. quoniam, num. 7. de concess. præbend. Ruzaus tract. regal. privileg. 4. nu. 6.* Quamvis enim regulare sit, in gratiis ad beneficia, ut qui prior est tempore, potior sit jure, *cap. hi qui, cap. eum qui, de præbend. in 6.* fallit tamen ubi de contraria Principis voluntate constat, qui pro sua summa potestate potest posteriorem antepone priori, *VVames. conf. 263. nu. 3. de præbend. Azorius lib. 6. Instit. moral. cap. 32. vers. nono queritur, & dum anteponeit expresse id declarando, non censetur priorem gratiam penitus abolere, vel revocare, quin patitur illam manere salvam, ut illius vigore, qui tempore prior fuit, possit acceptare aliud beneficium sub gratia sua comprehensum, *staphil. de lit. grat. tit. de vi. & efficacia claus. §. deinde sequitur alia.* Quæ quidem Pontificis voluntas, ut tanto certiore habeat exitum, solet communiter huic clausulæ Anteferri, adjici alia clausula ut hic decreti irritantis, quæ in contrarium acta quæcumque annullat, adeoque etiam ignorantes ligat, ne quoque modo tali vel dispositioni possit contravenire, & ubi contraverint nihil egisse censeantur, *Clem. 1. & ibi Dd. de Electio. Abbi. in cap. dilecto, de præbend. latè Gonzalez ad Reg. de mensibus, & Alternativa. glos. 67.**

Si tamen habens clausulam Anteferri, ei renunciet valebit, collatio prius facta, *Io Monach. in cap. 2. de præbend. in 6.* ubi se Ordinarius conferat beneficium intra mensem quod fuit specialiter impetratum cum clausula decreti & Institutionis, subsistet Collatio si Impetrans suo non utatur gratia, & si habens clausulam Anteferri, ei renunciet, valebit collatio prius facta, quia eo repulso sublatum est impedimentum quoad primum. Hinc si Precista nolit uti suis Precibus seu nominatione, utpote quia beneficium est tenue, & contemnit illud acceptare, collatio alteri non nominato facta subsistet: quia privilegio in suum favorem introducto licitum est renunciare, *c. si diligenti, de fora competent. lib. penult. c. de Pactis* Intelligitur enim beneficium esse Nominato seu Precista aff. Etum, si is ipse illud velit, *Rebuff. tract. de nominat. quest. 18. nu. 9. Guimez Pragm. Sanctio tit. de collatio.*

aa NON FACIENS PLENAM ET EXPRESSAM DE VERBO AD VERBUM) Circa hujus clausulæ intelligentiã vide si lubet ea que ante scripsi in verbo, & que fortassis tot alia &c. & not. *Wamesij consil. 33. vol. 1. bb VEL DIFFERRI* Ideo hoc additur, ut tollantur dilatorie exceptiones, de quo videatur *Fely. in cap. nonnulli, num. 9. vers. nota 3. de rescriptis, & notandum est quod quedam sunt regulæ suspensivæ gratiarum expectatarum usque ad fulminationem processuum quæ*

quædam sunt dilativæ, utpote propter aliquod factum personæ requisitum, & in effectu perimunt postea gratiam facto illo non secuto, quæ est in Regula de non acceptando nisi litteris expeditis, & his Regulis per dictas generales clausulas, etiam non obstantibus Regulis, non censetur derogatum, nisi de illis fiat expressa, & individua mentio, ut hic factum est, Gomef. ad Proem. Reg. Cancell. quæst. 5.

cc MENTIO SPECIALIS) Hæc clausula, inquit Rebuff. in forma Mand. Apost. tollit subreptionem, & defectum intentionis, quia intendit per hanc Clausulam derogare cuicumque privilegio, & statuto, etiam si specialis mentio de eo esset facienda, Card. conf. 136. col. 4. Et sic per hanc clausulam derogatur etiam Regulis Cancellariæ, quamvis de eis expressa mentio fieri debeat, Gomef. in proemio Reg. quæst. 6. in fi. ubi etiam subjicit per hanc clausulam videri derogatum Indultis Cardinalium, de quo hic non dubitatur, cum Indultum Cæsari concessum expressè deroget dictis Indultis & privilegijs quibuscunque.



Sectionis V.

§. Secundus.

NEC non a Concordatis nationis Germanicæ, ac eorundem Concordatarum confirmatione, ac prædictis, & quibuscunque aliis, quædocunque editis & edendis constitutionibus, & Regulis nostris, & dictæ Cancellariæ, ad quarum solemnitatem, adstrictionem formam, vel satisfactionem, seu observationem habentes Preces, seu Nominationem hujusmodi minime teneantur nec ipse Preces sub illis comprehendantur quoquo modo: Nec non quibusvis privilegijs, Indultis, & litteris Apostolicis, & quibusvis gratijs expellatibus & specialibus, vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, unionibus, annexionibus, & incorporationibus, suppressionibus, & extinctionibus perpetuis & temporalibus, nominationibus, ac reservandi, unendi, annuendi, incorporandi ac nominatis, & alijs conferendis, commendandi suppressendi, & extinguendi, alijsque circa accessus, & regressus, de consensu facultatibus litteris mandatis, & Indultis quibuscunque & cum provisionibus, commendis, & alijs dispositionibus ex tunc, & gratijs quibusvis, personis cujuscunque dignitatis, status gradus, vel conditionis existentibus, & quacunque etiam Imperiali,